



**H**iarnus eruditione & rerum peritia insignis  
 Hapud Danos extitit, anno Christi circiter 20.  
 Cum itaq; post Frothonis regis mortem Daniae  
 procures Fridleuum eius filium cum regia sobole  
 extinctum crederent, hunc sceptro dignissimum  
 iudicarunt, qui illustrandi Frothonis gratia, recen-  
 ti eius tumulo plenum laudis carmen affigeret, fa-  
 mamq; extincti regis specioso posteris titulo com-  
 mendaret. Tunc quidem Hiarnus praemij magni-  
 tudine concitatus, more suo barbarum Metrũ cõ-  
 didit, cuius intellectum quatuor uersibus compre-  
 hẽsum, prius in Frothone posuimus. Quo carmine  
 ædito authorẽ Dani diademate remunerati sunt.

Ita ab eis Epitaphium regno repensum, imperijq; pondus paucarum litera-  
 rum contextui donatum est. Verum is postea à Fridleuo Frothonis filio & ui-  
 ta & regno exutus fuit. Sax. Gram. lib. 6.